



Kem 240(1-31)

17

DE  
M O R T E F O E T V S  
EIVSQVE DIAGNOSI

---

INDVLTV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
P R A E S I D E  
D. ERNESTO GOTTLLOB BOSE,  
THERAP. P. P. O. FAC. MED. DECANO  
ACAD. DECEMVIRO, COLLEG. MAL. PRINC. SODALI  
ET APVD LIPSICOS POLIATRO

PRO GRADV DOCTORIS  
DISPVTA T  
CAROLVS AVGVSTVS KÜHNE  
S C H A F S T A D I E N S.  
M E D I C I N A E B A C C A L A V R E V S.

---

A. D. XXX. SEPTEMBER. MDCCCLXXXV.

---

LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



M O R T E P O E T A S

E L Y S I A V D I V I G N O R I

I H D U C T I V A

C R Y T I O S I W H I D E G R U N D D I S

P R A X I S I P A

D E R R E N E S T O G O T T L O B R O S E

A U F D E R H A U P T E R D E R D E U T S C H E R

G E S C H I C H T E R D E R D E U T S C H E R

E R Z Ä L U N G E R D E R D E U T S C H E R

P R O G R A M M D E C T O R I S

D I S C U S T A T

G A R O P A S A V G A S T A S K H I N I

S E C U N D U M A G I C U M

D E S T I N A T I O N E R A M

V E D D A M A S T I L E M M E R M D C C L X M I

F I L M A T

R A T H A U M A K R A U M A K R A U M A K R A U M





§. I.

**E**t si ea, quam foetus humanus in vtero vivit, singularis prorsus vita est, quippe quae non propriis solum, quod in natis ita evenit, viribus peragatur, sed alienis accendentibus suffulta, excellentior quasi existat, ita quidem, ut resistere variis incommodis, integritatem perturbantibus, posse videatur: non minus tamen exposta est multis iniuriis, quibus aut labefactetur aut supprimatur. Quum enim non eae tantum agant caussae in embryonem, quae euolutionem corporis perficiunt, quarum peruersus agendi modus tenerrima stamina laedere potest efficaciter, sed eae quoque accedant, quae in corpus grauidae vim suam exferunt, et per hoc ad illum deferuntur, non sine ratione adfirmare cogimur, multiplicari conditiones vitae foetus infidiosas. Ob magnum itaque eorum numerum, qui ex omni morborum vniuersalium atque particularium fonte simul deriuari debet, ampla admodum nostrarum, foetui infestarum, enascitur disquisitio, quae simul omnem

—————

omnem occupat medici attentionem, eiusque singularem prorsus exposcit sollicitudinem, tum in praecaendis malis metuendis, tum in praesentibus tollendis et immutandis. Nostra vero nunc non est intentio, aut scribendi finis, ut eas omnes inuestigemus conditiones aut modos, quibus possit foetus vita in periculum adduci, quum non patuae earum caussarum tam obscurae sint, nec non tam parum quandoque aestimentur, ut aliquando absuisse iudicentur, ni in effectibus adhuc superstites detegentur. Quid, quod astutae non raro femellae fictas veris, potissimum in foro, substituunt: quas curatior tantum medici prudentis peruestigatio, iudicisque sollicita quaestio enucleare valet. Interim ex his non obscure patet, maxime ad ea, respiciendum esse signa, quibus declaretur aut foetum aut neogenitum fuisse enecatum, in quibus itaque colligendis versatur tum medicus clinicus, tum etiam forensis. Hic quidem, dum, si de neogenito quaestio mouetur, num intra vel extra uterum amiserit vitam, ille, dum de foetus vita conseruanda, quae in discrimine versari videtur, indefessus dispicit. Hinc sponte in duplicem diuelletur partem tractatio, partim ad medicum medentem, partim ad forensem pertinens. Sed, quum neminem fugiat, in quacunque corporis humani affectione, multo magis in ea, quae vitam abripere potest, praecipue caussae scrutinium esse suscipiendum, nec nos de signis cum aliqua certitudine agere posse praeuidemus, nisi prius aliquantum caussarum disquisitionem instituerimus.

§. II.

Permagna est, ut antea diximus, earum rerum, quae cum aliqua vi et impetu funesto in foetum agere possint, caterua, quam in scenam nunc producere quantus nec au-

mus

mus nec valemus, praecipuas ramen aliquas praetermittere non possumus, tales quidem, quae in discernenda vita medico clin. atque forensi perpetuo ante oculos quasi versari debent. Eae autem ad foetum ipsum, ad eius receptaculum, vterum nempe, tandemque ad matrem, vtero gerentem, commode referuntur. Dum vero foetum, sibi ipsi fruenter insidias, adducimus, ira id intelligendum esse volumus, ut in eius iam corpore latere atque contineri volumus, coniunctionem aliquam, vitae contranitentem virtutis. Vix enim a certitudine abest eorum sententia, qui prima animalium et praesertim hominum rudimenta iam aliqua labore adfecta adsumunt, quod partibus non solum plene deficiuntibus, aut male etiam collocatis, sed etiam a communis decenteque figura abhorrentibus, monstrorum nomine, prodeant. Male vero ageret is, qui vel matris vel alius cuiuscunq; caussae culpam argueret, quam adeo clare originis indeoles docet. Nil enim nisi eas suppeditat mater conditiones, quae ad euoluendum stamen illudque augendum requiruntur, quae ab adfluentibus eius succis dependent, quibus ante rite conformatae partis, quamcunque humorum indolem, si ipsi matri noxia euadere non debeat, tibi finxeris, praesentia deleatur vel congrua reddatur. Num vero in tenui illo motu tanta sit agendi potentia, accurata viritudin mensura nos dubitare iubet. Interum non negamus, maturiorem foetum, cui maior inest fese mouendi potentia, noxam inferre posse parti et topicam sibi contrahere labem, itaque, licet idem rarius fiat, incremento conuenienti partis cuiusdam obesse, nunquam tamen plane partis destructionem efficere. Nec inficiamur, alias, ad corpus foetus delatas, caussas talem in eum facultatem exferere et vim, quae mortificationem producat, et si de imaginatione materna adhuc dum in utramque disputatur partem, hos tamen, vt potest

A 3

non



non inhaerentes aut natas in eius corpore, huc vix referre poterimus. Eae quoque serius dignoscuntur, nec a medico clinico leuari poterunt, nec a forensi ceu tales, quae puerperam accusent aut liberent, adsumi. Magna deinde hominum diuersitas, quae in robore est viuentium, non obscure nobis persuadet, etiam innatam quasi stamini debilitatem eius vteriori obesse incremento, vt pereundum sit embryoni, prius ad suam quam deuenerit perfectionem. Cuius tamen tam obscura sunt indicia, vt, mortis causam quidem continentia, prius non pateant, ac dum abortu eiectus embryo oculis iudicioque submittatur. Non parum etenim hoc aliquando tribuere potest id receptaculum, in quo vivit, atque ad certum usque tempus egregie conseruatus, nutritus auctusque viget foetus, nimurum vterus maternus. Eam docet anatome illius esse indolem, quae ex dilatationis capax sit, neque tamen relaxetur, et stringendi fese potentiam habeat. Vtiusque virtutis praeternalis conditio non molesta tantum, sed nocua quoque foetui, in eo contento, potest euadere. Sicuti enim per aetatem elastica et muscularis eius fabrica, ob inductam ipsi rigiditatem, inepta redditur alendo foetui; ita absque hac conditione per varias, nec semper determinandas, caussas, in grauidis feminis vteri compages dura resistit vteriori expansioni, quae foetus incremento limites ponens, eum necet. Immo obseruatio atque experientia confirmat, non deesse exempla grauidarum, quae, quum aliquoties ad certum demum tempus vtero gesserint, mox abortum fuerint passae, quo ipso simul ad gradum quendam vterum tantum extensionem permettere intelligitur. Ut de contrario eius statu, relaxatione nempe incongrua dicamus, vix opus esse censemus, quum facile unusquisque prospiciat, propter debilitatem, conceptum retinendi foetum, facultatem, eum citius effundi ac perdi,

perdi, quam de vita eius certi reddamur, nec non inde, si  
ad gradum aliquem resistens dilatationi virtus vigeat tantum,  
iterati abortus caussam et effectum repeti debere. Haec,  
quae in utero, seu viscere, nascuntur vitia, ab aliis non sunt  
immunia, quae aliunde accedunt, et ex matris corpore, cui-  
us pars est, huc transferuntur, ut difficile denuo sit, unica-  
nocendi caussam accusare, quae sit composita aut ex variis  
vnita. A matre nimis nemo dubitat sanguinem succos-  
que tradi foetui, quibus stamen et nutriatur et soueatur  
euoluaturque, tandem vero ad eam dederunt magnitudi-  
nem, quae partus necessitatem faciat. Num morbosae con-  
ditiones ad foetum a matre dederuntur, alia enascitur qua-  
stio. Hereditarios quidem morbos saepius accusari obser-  
uamus, id vero eosdem per familias quandoque regnantes,  
testari creditur, hos tamen alii, ut LOUIS, *dissertation-com-  
ment se fait la transmission des maladies hereditaires*, constanter  
negare annuntuntur, id tamen multis exemplis comprobant.  
HALLERVS, *Element. physiol. corp. human.* Vol. VIII. p. 96.  
quibus ab utroque parente labem ad prolem progredi pa-  
tet, quodque venereorum morborum, in innocentem infan-  
tem continuatorum, quotidiana docet experientia. Nolu-  
mus tamen prolifici spermatis moleculas accusare, tum ratio-  
ne proportionis aut mixtionis diuersae, quod RAYLINVS  
*sur la phthisie* Sect. II. cap. 2. suspicatur, quippe quae con-  
ditiones et obscurae sunt et ambiguæ. Quo certius e con-  
trario est, matrem suis sustentare foetum opibus, eo luculentius  
apparere arbitramur, sanitatis et morborum, quibus illa  
conflictatur, effectuum vim ex illa in hunc esse redundaturam.  
Quum enim ab integritate functionum omnium, in-  
ter se conspirantium, sanitas pendeat, rite elaboratos atque  
conuenienter mixtos succos grauidam, sanguinem succosque  
ita comparatos, ad eum, quem gestat, foetum transmittere,

cum-

eumquē sanum seruare, confidimus. Eandem vero, cum morbis conflitatem variis, minus etiam nutritum et debiliorē parere infantem comperimus. Quo grauiores itaque sunt morbi imperii, quo difficilioribus illi stipati symptomatibus, quo maiorem praeter ea humorum dyscrasiam produnt, aut efficiunt, eo magis fraudi quoque sunt teneriori vteri incolae, nec non, quod eius incrementum cohibent, quandoque illum plane suppressunt. Si deinde in omnem viuendirationem intuemur, non molestias tantum perferendas esse a pauperioribus, utpote ipsam matris vitam infestantes, sed desidiosam pariter ac voluptuosam vitam ditorum infidias struere foetui perspiciemus, vel inducendo dispositionem ad aegritudines, vel eas excitando. Vitia scilicet diaetae omnia, sicuti largissimam morbis offerunt opportunitatem, ita magis citiusque in grauidis idem praestant, ex variarum functionum laesionibus. Sunt qui motus corporis vehementes satis tuto perferunt, egregios nihil secus et fortes generant infantes, immo in victu quandoque errores committunt nec exiguos, nec infrequentes, ut iudicium inde de promendum fallax esse videatur, consuetudini tamen aliquid dandum esse censemus, quae magnam exercet tyrannidem, robori vero singulari corporis molestias infert, non raro diu sine euidente tolerandas noxa. Si vero egestate pressa grauida suum vix sustentauerit corpus, quo minus possit eadem aliud eodem alere victu, quis non perspicit? Inde nimirum marcidi flaccescentesque nascuntur infantuli, qui luculenta secum deficiens nutrienti adferunt testimonia. Hinc manifestum id magis redditur, si gestationis tempore, graui et pertinacius corpus adfligente morbo conflictata fuerit grauida, in primis tali, qui nervis inimicus, totam sane machinam concutit, quo non debilitari tantum, sed plane potest foetus vita sua pri-

priuari. Immo animi, etiam pathematibus impetuosioribus ea ineit vis atque facultas, vt, sicut repentinis mortibus opportunitatem faciunt, ita quandoque omni pene sua virtute ad foetum deferantur eundemque in vtero necent. Multo minus dubitatio de externis, corpori grauidae illatis, iuriis orietur, eas foetui valde periculosa futuras esse, quo maior scilicet earum actio fuerit: huc lapsus, percussio, conquassatio, mala per verbra tractatio, similiaque pertinent, quales etiam in foro astutae fingere solent mulierculae, testimonii tamen confirmandas conditiones. Pericula tandem alii subeunt foetus, a mala eos necandi intentione atque studio matris, si variis corporis, in primis ventris, contusio- nibus, muscularumque peruersis agitationibus, vii praestigiatricum mos est, consulto vim inferunt vtero, abortus forsitan mouendi cauſa aut, si remediis vtuntur, huic fini destinatis. Licet enim hisce pharmacis non semper suo potiuntur voto, quum experientia doceat, aliquas copiosiore quoque vſu eorum nihil feciſus sanum seruasse et edidisse infantem, leniora e contrario remedia euacuantia vel magis ecceprotica tantum, perdidisse foetum: animi tamen consilium, poenam iamiam atque animaduerſionem meretur, nec non ipsa grauidae, tales medicinas adſumentis, mutata corporis dispositio atque conueniens virtus labefactata cauſa existit pereuntis embryonis. Hae itaque cum multis aliis momentis praebebunt ſufficientes cauſas, quae nocuæ ſunt nondum nato aut nascendo.

### §. III.

Vt ut vero in his, si accurate diiudicantur, insunt indica- cia, quae de vitae foetus periculo, vel metuendo vel facto, nos instruere valent, rite tamen ac studiose adhuc perpenden- da ſunt fundamenta, quae signis colligendis fauent. Haec

B

autem



autem a causis illis pendent, et ab effectibus earum desumenda sunt, quorum triplex genus antea considerauimus. Singula tum clinico, tum forensi medico utilia futura sunt, et si quaedam obscura, quae ambiguum tenent iudicem, alia evidentiora deprehenduntur. Ad foetum, in utero adhuc detentum, si respicimus, eum aliqua sui parte mutilatum esse, vel monstruosam eius conformatiōnem euenisce, nihil est, quod significat, siquidem eius incrementum, non obstante tali defectu, nihilo tamen minus liberrime fiat. Sunt, qui valide commotam grauidae imaginationem, aut post perpeccūm vehementius animi pathema vim inferri debere nutriendo embryoni arbitrantur, nec incongrue, dum ex his ἀτροφία non raro sequitur, totias nimirum corporis perturbata oeconomia, quae foeti quoque mutationem infert, sed mutilationem inde subsequi, nullo euincere arguento valent. Quid? quod si foetus, ut aliquando sine praegressa eius modi commotione corporis mentisque fieri solet, secum defectum adduxerit, aut male conformatae partis formam, anxie potius de causa efficiente anquirunt, et pro anamnestico habent signo, quod per natūram accidisse supra monuimus. In primis, quoniam disquisitio demum confirmare debet, quod opinio praeconcepta supponit. Sunt tamen eius modi adfectiones grauidae a medico, ut noxae, ad vitae integritatem tum matris tum foetus concutierandam aptae, noscendae, nec non sollicite obseruatae, leniendae atque, si fieri potest, corrigendae. Si porro uteri laxitatem vel stricturam velinus accusare, ceu topicum vitium, ex totius corporis habitu temperamentoque diiudicare necesse est, nec specialia quaedam signa inuenimus, nisi, quod abortum reiteratum, absentibus aliis grauioribus causis, sponte accidisse obseruemus, possitque partialis, cum generali laxitate morbosa apparente, stritura

atura

Etura adesse. Illud autem laxitatis signum, qua vterus ob  
 orificii sese constringendi impotentiam sperma virile, ipsi  
 applicatum non retinet, sed protinus emittit, quod magnum  
 est foecunditatis periculum, iam ad nos non pertinet, et  
 a medico clinico forte remediis roboranibus leniterque  
 adstringentibus emendatur. Luculenta magis sunt indicia,  
 quae grauidae constitutionem manifestant et acrimoniarum  
 praesentiam declarant, v. c. luis venereae, scorbuti simili-  
 umque morborum. Quo maior enim humorum dyscrasiae  
 gradus persentiscitur, eo euidentior, ob inquinatos mater-  
 nos succos, habebitur prognosis de indole corporis foetus  
 nutriendi. Alii etiam morbi, iudicandae transitorii et per  
 coctionem crisiisque iudicandi, quod de febris acutis, bi-  
 liosis, putridis, epidemicis, nec non exanthematicis valet,  
 ex suis dignoscunt signis, quae medico practico forman-  
 dae indicationi sua suggerunt momenta. Nec inde semper  
 pericitatur foetus, vt metus labefactatae eius vitae, resti-  
 tutis nimirum post ea et feliciter refocillatis viribus ma-  
 tris, vegetus ille integerque compareat aliquando. Equi-  
 dem in diaeteticis, quas pro more hodierno varie commit-  
 tunt grauidae, virtus ea est potentia, vt in corpus matris  
 aequie ad foetus agant, quae nutritio potissimum succo alien-  
 nam conciliare queat indolem, nec non suspicionem mo-  
 veat, fore, vt foetus quoque deprauetur: verum, quod  
 ceu anamnestica signa medicum ad diiudicandam male nu-  
 triti foetus caussam ducunt, nunc simul prognostica exhiben-  
 tent, quae doceant, quid a foetu sit expectandum, qualemque  
 is suae vitae noxam incurrat. Quare ad emendandos  
 illos errores non exiguo opus est studio, quod medicus cli-  
 nicus, per prophylacticam quoque curam adhibet, ad ser-  
 vandum aequie ac fortunatum reddendum embryonem. So-  
 lent interim in foro quandoque ab astutis, fraudulentisque



puerperis praetendi eius modi conditiones, quae, dum  
 euitari non potuerint, ut aiunt, perniciioni fuerint foetui,  
 cuius tamen rei et hallucinationis veritas, sedulo peruestigata  
 caussae virtute, quae egisse dicitur, patescer ex signis, in  
 corpore neogeniti animaduertendis, ne fictione decipiatur  
 iudix. Idem etiam euenit, si illatae externae iniuriae vis  
 accusatur, cuius in matre, v. c. post editum infantem, nulla  
 amplius superfunt vestigia, de quibus, num ad foetum  
 transmissa fuerint, eiusque integratati nocua extiterint, non  
 nisi post partum, explorato eius corpore atque comparatione  
 effectuum cum caussa potest intelligi. Sed, quod deinde in  
 ipsa matre contineri rationem supra declarauimus, quae sa-  
 num, vel debilem, vel morbosum reddat foetum, omnes  
 hic singularem habebunt vim conditiones, quas in grauidis  
 obseruamus. Quis enim non coniiceret foetum laete viuere  
 ac crescere, si mater conueniente cum appetitu et ciborum  
 assumtorum laudabili digestione, sanguinis succorumque de-  
 bita elaboratione, acrimoniae et cuiuscunque dyscrasiae ab-  
 sentia, prompta atque expedita secretionum excretionumque  
 administratione, menstruorum quoque defectu, nihilo secus,  
 vtero, sensim magis tumente ventre, gerere et incolam vteri  
 sensim magis moueri alacriter percipiat? Quis contra male  
 se habere foetum non argueret, si functiones varias matris  
 ab inhaerente morbo laborare inueniat? quis ex impuro  
 eiusmodi fonte riuos quoque inquinatos promanare non su-  
 spicaretur? Quo plures autem materni corporis actiones im-  
 pediuntur, eo grauius etiam adfici foetus debet. Magis,  
 si nobilium, quorum summa ad bene valendum est necessitas,  
 viscerum actio vel leuius vel grauius adficitur. Phthisicae  
 in primis, si iam perpeccae fuerint morbum diutius, quum  
 se ipsis seruare non possint, aegrius sanum edent infantem,  
 ut ipsius morbi iudeoles atque hinc sequelae, quod iam in-

nui-

nuimus, multum ad praesagium vitae et mortis instantis foetus conferant. Sunt quidem aliqua in contrarium exempla, illa tamen non perpetua, morbique materni notas vel in foetu marcescente facile detegimus, vel in eodem ante partum enecato. De cacochemico eius statu ex boni nutrimenti defectu neminem dubitare arbitramur. Aliter vero sentiendum erit de inducta ex animi consilio morte, qualam per abortiuia remedia introduci posse non plane insitiamur. Hunc in finem solent omnia sic dicta emmenagogica eaque non nunquam fortiora adhiberi, quorum sane usurpatorum, si corpus maternum non mutauerint, signa quidem non conspicuntur, si vero labefactauerint matrem, quod non raro contingit, tunc etiam in foetus incremento eiusque habitu externo, in vita post partum, aut in ipsa eius morte indicia habebuntur non obscura.

#### §. IV.

Etsi vero ex his signis varia, ad vitam vel mortem foetus pertinentia momenta elucescunt, tamen cuncta non ita comparata sunt, ut in diudicando vero statu aequae sint vim aequalis habitura. Alia nimur antecedentem grauidae, hinc foetus nutriendi statum indicant, et secundum pathologos anamnestica vocantur, alia futuras mutationes declarant, et prognostica appellantur, alia deinceps de praesentibus instruunt conditione, et diagnosticorum nomine veniunt. Singula medicum clinicum instruunt eiusque animaduersiōnem merentur, in diagnosticis perscrutandis potissimum occupatur forensis, quippe qui suū de iis, quae in corpore foetus adnotantur, debeat exponere iudicium. Abortus itaque reiteratis iam vicibus contingens, nulla nempe alia caussa accedente illumque producente externa, in solam vteri dispositionem coniiciendus, eam ex *avapv̄j̄s̄* in foro

B 3

habe-

¶

habebit, ut inculpati remedii abortiu*m* suspicionem culpamque auertat, in medica praxi vero, ut indolem prauam vteri emendare studeamus. Ipsem*et* noui exemplum honestissimae feminae, quae aliquoties, cum magno familiæ luctu, passa erat tertio plerumque grauiditatis mense partum praecocem, licet vix leuem, committeret, euentui tali fauente*m*, errorem, tandem correcta humorum dyscrasia ac bene obfirmato corpore enixa est foetus perfectum vegetumque. Quanto magis illa mortis foetus antecedentem quandam caussam arguent, si de peruerso vitae genere, similibusque econditionibus grauidae constiterit. Quare in vitam ante actam sedulo inquirendum esse arbitramur, quum, quod iam notaui*m*, inde perspici queat, partim quid metuendum sit, partim quid euenerit, quum deinde, quid molendum sit, intelligatur a medente. Namque non parum interest, publicae atque priuatae vtilitati, nasci et plurimos et integros valetudine rei publicae ciues, quod, vt fiat, simul perspicientiae et consilio debetur medicorum, qui in obseruatione rerum omnium, ad diaetam pertinentium non exiguam esse vim seruandæ salutis docent, hisce vero ordinandis suam elocant operam. Hinc certiores redduntur de cura instituenda, ad vitam prorogandam laudabiliterque perficiendam foetus in vtero, quae sane subsistere nequeat cum iis rebus, quae aduersae sunt eius integrat*m*.

## §. V.

Egregia vero illa signorum variorum vtilitas in definienda mortis diagnosi redditur excellentior ex animaduersis in foetu praesentibus, momentis, quorum praecipue nunc placet rimari naturam. Facile qui*us* nobis adstipulabitur, duplum esse instituendam disquisitionem, aliam, quae ad foetum adhuc in vtero detentum spectat, alteram quae ad illum natum

tum vel nascentem. Priorem coniectura ex signis manifestis adsequimur, alteram maxime ex ipso eius aspectu. Quae enim ubique nos manent vitae pericula, illi nec deerunt, tum ante tum in et post partum, quae singula iam sunt perpendenda. Recte valentem vegetumque foetum, si ad eam deuenerit magnitudinem, quae, non obstante cum circum fluente humiditate, propter vteri nondum sufficienter factam expansionem, ad parietes eiusdem cum facit allidere, motum, etiam percipiendum, in ventre producere, omnes norunt. Nec non subsequente tempore pro ratione incrementi foetus augescere motus. Hos vero nonnunquam imponere disquarentibus vel ipsis grauidis, bene monent doctores obstetricii, ni recte eosdem a variis, in intestinorum canale contentis irritantibus flatibus, inde excitatis borborygmis, immo spasticis intestinorum constrictionibus, quibus aliquando partes eorum in tumores, etiam duros letiari obseruamus, discernere studeant. Quod eam ob rationem non reticendum esse putamus, quod obseruauimus, infanticidii inculpatas, eam ob rationem vixisse foetum adfirmasse, quod motum eiusdem in partu quoque se animaduertisse statuunt, quum tamen putridus iamiam is fuerat deprehensus. Id, quod sub hoc tempore aliquando non difficulter evenit, quoniam inordinati et conuulsui motus in vniuersum, sic etiam intestinorum, mortem foetus antecedere vel comitari solent. Leuis autem ab initio motus vigorem semper maiorem acquirit, quo debilioris contra redditur, continuata grauiditate, eo magis de sanitate et vita periclitari foetum indicat. Si tandem omni adhibita cura, quam praecipit ars obstetricia, sub congruo etiam grauidae situ, motus percipiatur nullus, tunc certius de morte foetus percipitur signum. Solent tamen moribundi quoque embryones non nunquam tumultus excitare, quod pro vitae alacris indicio haberi possit, conuulsionis vero efficiens.



Etus est et proxime subsequente silentio confirmatur. Sequitur tunc alia evidentium signorum caterua. Mox enim ab initio paruo, deinde grauiore horrore concutiuntur grauidae, quem excipit calor febrisque. Interceptus scilicet, qui foetus interest matremque, continuus humorum mouendorum nexus, itus redditusque eorum, rationem horum incommodeorum continet. Quare non raro nausea, prostratus appetitus, vomendi conatus, vel ipse quoque vomitus cum totius corporis languore atque motus muscularis difficultate accedit, immo hilaris ante femina tristis euadere et abiecto esse animo constieuit. Vterus, qui antea multum extendebat et valide prominebat in ventre, eiusque hypogastrica aequa ac umbilicali regione, is nunc sensim magis subsidere incipit atque vere collabi, quod defunctus iam embryo nec aquas mouendo, nec sui corporis motu distensionem excitat, quid, quod in omnibus morientibus iamiam notamus, plenum quasi et expansum corpus flaccescere atque constringi. Quo facto nouum accedit indicium ex singulari pondere, quod grauida ipsa sentit: globum etenim durum pro diuerso corporis situ hinc indeque voluntari percipit, qualem et ii persentificant, qui obstructo vel induratione scirrhosa laborante viscere infestantur, qualemque grauitatem ingentem inesse omnibus cadatiis animaduerimus, nec mirum, quod levitas corporis a vita eiusque pendet caussis. Quae in pelvi sitae sunt partes, magis inde afficiuntur et compressae non amplius sua vtuntur libertate, vesica irritatur virinaria et intestinum rectum, vnde illa recusat suum retinere liquorem, hoc tenesmo excruciatur. Certitudinem inesse hisce notis, neminem quidem dubitatum esse confidimus, iungunt vero his alia sese momenta. Abdomen, quod collabi diximus, nunc etiam frigere incipit, caloris nimirum naturalis partem amittere, in mammis obseruatur detumescentia, praecipue, si maturior iam foetus vitam

ami-



amiserit suam. Hae nimirum, ob adfluentium succorum copiam antea turgentem, nunc concidunt et molliores redduntur, quod etiam urget **HIPPONCRATES** Aphorism. V. 53. dum ὄνοσαι διαφθείρει μέλλοντα τὸ ἐμβρύον, ταύτησι, inquit, οἱ τιτθόδι ἰσχνοὶ γίνονται. Graciles enim aut flaccidiores factae mammae eum vigorem imminui declarant, qui adesse ad veram foetus nutritionem debebat. Quare idem **HIPPONCRATES** Aphor. V. 52. "Ὕπερον εἰν γάστρι ἔχεσθη γάλα πολὺ ἐκ τῶν μάζων ἐσθῆ, ἀσθενὲς τὸ ἐμβρύον σημαίνει, quod **GORTERVS** in *Medicina Hippocratica ad h. l.* recte explicat fieri, quoniam foetus minuit uterini vigorem debilitatus, ob actionem uteri pariter debiliorem, quam in contrario, ἢν τερεῖ οἱ μασθοὶ ἐώστω, ὑγιεινότερον τὸ ἐμβρύον σημαίνει. Totius namque corporis aliqua esse debet firmitas, quae pariter utero largitur vim et plenam foetum nutriendi potestatem. Vnde pariter subitaneam mutationem quamcunque periculosam iudicat, iterum **HIPPONCRATES** dum Aph. V. 37. γυναικὶ εἰν γάστρι ἔχεσθη, ἢν οἱ μασθοὶ εὔαισθησις ἰσχνοὶ γίνονται, ἐπιτρώσκει indicat, abortu nimirum, ob robur mutatum et deiectum, non praecauendo. Est enim uterum inter mammae singulares quidam consensus, quem num a venis, quae veterum est opinio, num ab arteriis ex recentiorum mente, an a nervis deduxeris, iam non curamus, quam practica obseruatio sufficienter doceat, utriusque partis eam esse connexionem, quae in statu grauiditatis et partus et mutationum cum eo coniunctarum, singularem analogiam monstrat, ita quidem ut ea, de qua mox diximus, conditio, genuinum diiudicandi criterium praebeat. Sed obiiciunt alii, ad aetatem foetus respiciendum esse, quod, quo propior is a sua distat origine, eo quoque obscuriora reddet haecce signa, quandoquidem primis mensibus gestationis parum mutatae mammae inueniuntur. At nec soli haic indicio fidendum esse volumus, alia

C simul

—————

simul sunt perpendenda, quae coniuncta veritatis evidenter reddit notitiam. Accedit etiam, quod natura, mortuo foetui domicilium non amplius concessura, eum protinus expellere adnitatur variis nixibus, qui nouam suggestant conditionem, qua foetum decepsisse e vita internoscere valemus. Praeter enim id, quod lac aut serum copiosius exstillat atque profluit ex mammis, etiam nunc inquietudo singularis. cum novo febrilium symptomatum incursu, spasmi imi ventris, et omnes, qui partum futurum significant, molestiae accedunt. Dolorum nempe ea est ratio, quae in partu naturali adnotatur, admodum per se incommoda, quae in iis, quae grauiditatem negant, aequae ac in iis, quibus ex mortuo embryone praematurus est metuendus partus, si accesserint, utique animaduerti poterunt atque discerni, sed facilius ab iis, quae iam peperere. Ut plurimum hos dolores partus protinus non sequitur, praecipue, si maturior foetus fuerit, quiescere tamen vix sinunt adfectas, et si loco suo se mouere nequeant et ingressus cohibeatur, usque dum dolor praeterierit. Tanta etiam non raro cum his coniuncta est anxietas et praecordiorum angustia, ut vix se contineant, dentium nonnunquam stridore corripiantur, mire corpus agitando. Si ex his praecurrentibus quasi doloribus veri nascuntur, vterique constrictio consequitur, breui excutietur ex utero embryo. Dum vero haec fiunt, alia simul cœniunt, quae foetus mortem manifestant. Quum scilicet aquae, quae illum circumfluunt, ante partum destillantes, in sano foetu sint albidae, tenaces et magis mucosae, naufragio quanquam odore imbutae, nunc cum sanguinis profluvio tenuius, acre tamen serum foetidi putridique odoris exit, a quo caseosa quasi materia, qua totum solet neogeniti corpus obductum cerni, maximam partem soluitur, ut puriorum magis demortuum embryonem prodire videamus,

ac

ac viuum, spurcitie tali contaminatum. Quam leuem visu-  
ram conditionem in disquirendis, qui pro demortuis vendi-  
tantur neogenitis non plane negligendam esse censemus,  
in foro quoque attendendam. Reliqua, quae in partu na-  
turali viui foetus obseruantur, momenta, nec hic desunt,  
nisi, quod demortui embryonis partus cum difficultate non  
raro contingat. Putrida vero, ex utero exhalans, mephitis  
tunc euidentius percipitur, si foetus, sua priuatus vita,  
per aliquot tempus, quod diuturnum esse non debet, ibi-  
dem restiterit. Variam eius originem adsumunt, quam  
facto demum partu curatius valemus definire, an scilicet a  
dimisso foetus meconio profisciscatur, an ipse foetus pu-  
tredine magis minusqne fuerit dissolutus, num placen-  
tae corruptio eius fontem constituat: nec dubitandum  
est, amnii nauseosam indolem quidquam simul conserue,  
quippe qui putrilaginis naturam facilius possit adsumere.  
Tantam vero, quod alii hallucinantur, esse foetoris huius  
vim, ut mater suis pulmonibus respiratione foetentem dimit-  
tat halitum, ridiculum esse iudicamus, quum sine magno  
ipsius grauidae damno et vniuersali paene corporis corruptio-  
ne hoc evenire nequeat. Interim nec desint exempla, quod  
foetus, licet demortuus, nascatur integer sine putredinis nota,  
in hoc itaque haec et alia aberunt signa. Sic, si v. c. ex-  
terna quadam violentia grauius adficitur mater, amittet vi-  
tam protinus embryo, sed accedens dispositio ad partum  
subitanea, non nisi mortuum natum iri suspicionem mouer,  
qui paucò hoc intercedente tempore putredine tangi vix po-  
tuit.

### §. VI.

Quoniam vero grauida ab iis, quae foetum vita priuant,  
conditionibus non parum patitur, imimo labes eius morbosa  
optatam simili euentui largitur opportunitatem, non potest

C 2

non

—————

non illa vicissim ab iis, quae embryoni noxae sunt, et vehementer quidem perturbari peruersitatibus. Mirum itaque non est, si eius labefacteretur integritas et vegeta sanitatis incorruptae indicia, in externo quoque habitu conspicua, sensim deleantur atque euanescant. Interim, quod aliae quoque caussae simillima symptomata excitare valent, in his eam, ac in ante dictis evidentem certitudinem non haberi vixque non diffitemur. Coniuncta potius haec phaenomena, relata ad certiora, aliquam efficaciam probandae veritatis praestabunt, solae autem a defensoribus, quibus reas, de morte foetui illata, exculpandi officium incumbit, adductae vim probantem non adsequuntur. Eadem interim praetermittere nolumus, quod partim, ut iam notauiimus, prorsus reiicienda non sunt, partim medicum clinicum ad pleniores conditionum in grauida praesentium, explorationem inuitant, immo, inuenta caussa curatiusque peruestigata, gravidas a metu, quo non infreuentur multum percelluntur, liberant. Pertinere autem huc arbitrantur, pallorem, in facie grauidae obseruandum, illius potissimum, quae alias, et ipso adhuc grauiditatis tempore, roseis labellis rutilantibusque picta apparebat genis; quod tamen non insolitum est in permultis, bene etiam valentibus, dum status grauiditatis semper morbos quidquam inducere videtur, succum nutritium detrahendo matri et foetui impertiendo. Sensuum deinde perturbationes huc referunt, visus obscuritatem, oculorum turbidum statum, eorumque collapsum quasi et concavam formam, caliginem, vertiginem, aurium tinnitus, aliaque. Quae tamen omnia aliis quoque morbis communia sunt, nec nisi eo demum tempore cum morte foetus coniuncta esse, aut inde produci existimabuntur, si ex aliis symptomatibus ea fuerint confirmata. Ad eandem sortem pariter pertinenr, subito saepiusque obuenientes sanguinis orgasmi, vel vagae phlo-

phlogoses, quibus grauidae infestantur, quae tamen tum in iis, quibus est nimis sensibile nervorum genus, tum in varia humorum dyscrasia, tum aliquando, viuo nihilo minus foetu, in mutato eius situ non raro animaduertuntur, vnde simul animi deliquia, pertinacior syncope, antecedentibus anxietatibus praecordiorum, immo ipsius cordis palpitationes enascuntur, magnaque viribus vitalibus vis interficitur. Notandum autem est, si ea accident, aut per causas occasionales in grauidis excitentur, praeципue, si frequentior sit talium symptomatum recursus, in discrimen adduci posse embryonis vitam, et tunc eos, qui caussam cum effectu confundunt, egregie falli. Oedemata pedum in grauidis sollennia esse solent, ea impediti per extrema sanguinis progradientis documenta, in quibus etiam variii gradus solent observari, nec non transitoria non nunquam deprehenduntur, minime vero de statu embryonis in utero testantur: licet non obscurum sit intellectu, eum, si perierit, ob grauitatem suam pondusque maioribus vasibus sanguiferis, comprimendo eadem, insidias struere. Etiam ii, qui externam corporis superficiem, breui post mortem foetus, in gratida insolitis maculis foedari adstruunt, sane pro criterio habent, quod acrimoniae singularis est sequela, cuius praesentiam forte studiosius disquirens scrutator antea indubitatam detegit. Quam ob rem, si indicia mortis foetus non continent haec momenta, sed aliunde potius proficiscuntur, sicuti in medicina facienda certa non docent, ita explanationem veritatis in foro minime praestabunt, sed vanae tantum sunt conjecturae. Sin demortuus iam foetus, in utero detentus diutius retinetur, tunc, quod ROEDERERO Element. art. obsteric. §. 377. concedimus, matrem poterunt affligere. Sed natura, putrida auersans, breui eliminat cadavera.

C 3

§. VII.


 §. VII.

Felicissime autem viens grauida, quae suum egregie nutrit foetum, quique ad perfectionem suam laetissime pergit, in ipso tamen partus actu accedere conditiones quasdam inveniet, quae adeo beatae hucusque vitae filium abrumpent tenero embryoni. Hae itaque signa constituunt diagnostica, factam eius mortem docentia, curatius perscrutanda. Luceuenta namque illa si fuerint aut reddantur, etiam in foro poterunt ceu demonstrationes innocentiae earum, quibus de interitu foetus mouetur quaestio, adhiberi. Omne vero momentum videtur redire, aequre ad situm foetus in utero, dum partui sese accingit, ac ad fabricam et constitutionem partium in grauidis, quibus partus perficitur. Omnis enim situs, qui difficultem partum facit, quo nimurum eae partes, quae ad viram seruandam maximopere pertinent, vehementer comprimuntur, ni obstetricia manu malum leuetur, in periculum vitam ducit embryonis. Quodsi ergo vera paragomphosis capitidis extiterit, inflammacionesque partium orientur in diuturniore partu, de morte foetus vix supereft dubitatio, praeferit si tumorem, vix non semper ab incunatione natum et renitentem, nunc mollescere atque subsidere inueniamus. Inter eas deinde partes, quae ad generationem pertinent, sola videtur pelvis ossa singulari egere attentione: haec enim per se aut angusta nimis aut alio quocunque modo male conformata est, quam utramque conditionem, quod ars illo tempore parum vel nihil mutare potest, funestam foetui euadere debere censemus. Vrgent eundem dolores ad partum et in angustam pelvim depriment, ex qua raro viuus sponte arteque protruditur. Etsi vero aliam, hisce malis medendi, methodum obstetricantes adhibere tentant, rite instituta ventris aut synchondroseos ossis pubis sectione, vt aliquando salutifera atque ad foetum

rum seruandum idonea, noxam tamen ineuitabilemque ex ea mortem plerumque non tollit. In partu autem naturali iam per instituta partus molimina, si foetus ex aliis iam momentis debilis animaduertitur, non desunt plane phaenomena, quae eum defunctum iamiam praesagiunt, prius is in lucem quam protrahatur. Huc sane referri meretur, si, quod in viuis turgere solet caput atque expandi, nunc collapsum esse sensimque mole sua magis imminui deprehendatur, quod pro signo quiescentium iamiam, nec amplius motorum humorum sanguinisque habendum est. Tunc ossa, potissimum superiora, propter suas, quibus cohaerent, membranas, in viuente foetu succulentas, nunc pariter collabentes, acutiores margines suos, ad se inuicem applicatos, quod manus obstetricantis haud grauatum percipit, stridore manifestant, vietamque deficere docent. Quod vberius confirmatur si ori, quod facile patet, vbi attingi potest, lingua insit immobilis, nec irritanda ad motnm, idemque si in forte propendentis manus digitis percipiatur, tandem, si in capite, vehementer sic compresso, tumor non nascitur. Nec non euidentius signum habetur ex funiculo umbilicali, si elapsus ille vel ex parte vel integer propendeat. Huic inesse docet anatome duas, non exiguae, arterias, quae ex iliacis internis ortae, impetum cordis experiuntur et alacriter pulsant. Has non pulsantes si detegas, aut quod peius, in funiculo frigoris quendam serum si percipias, certiore de deficiente vita notam habebis, eamque vere probatam, si foetus ex utero, vel protractus vel detrusus pleniori subiici queat scrutinio.

### §. VIII.

Quare a nobis adhuc investiganda sunt argumenta, quae in neogenito ostendunt, eum iam mortuum fuisse natum.

Ad



Ad quas itaque conditiones in primis recurrendum est medico forensi, quum de iis, quas mox adduximus, earundemque veritate tantum is queat iudicare, qui partui adstitit, omnesque eiusdem perspexit scenas, vel ipsum partum iuuuit. Apparebit autem, si alibi superest quoddam iuuandi vel refocillandi nascendi auxilium, hic vitam seruari non potuisse. Sunt, si fidem mereri debent, momenta ex ipsius corporis inspectione, tum externa, tum ex interiorum partium perlustracione desumenda, ex quibus palam redditur, nec vagum, suspicionis plenum, rumorem, nec relationem incompletam eorum, qui in partu, ceu minus idonei testes, praesentes fuerunt, quidquam ad probandam valere veritatem. Curatione nimirum hac indagatione constabit, qualis fuerit neogeniti ad exitum eius ex utero usque nutritio. Plenus formosusque plerumque, rite valens, ex utero egrediens infans conspicitur, contrarium vero statum huius vigoris defectum indicare antea docuimus, quem ex totius corporis ei decente partium proportione, collata, fieri potest, cum matris habitu et constitutione dijudicamus. Tunc, quod in dissertatione nostra, *de diagnosi vitae foetus et neogeniti* §. V. declarauimus, exsuffca, contracta, senum ad instar rugosa, flaccidaque integumenta corporis iam ante partum nutrimentum detractum fuisse infantulo manifestant. Ex quo utique probabile fit, inquisitae, quam vocant, carcere detentae, effatum non esse a veritate alienum, si motum eius modi foetus se vltimis temporibus parum perceperisse adfirmet, idque eo magis, si ipsa in suo corpore circumferat morbos status aut sui corporis nutritionis deficientis testimonia. Quo accedit et hoc, quod mox post partum neogenitus in eo statu deprehendatur. Minime tamen hue imperfectos referimus foetus, quibus nondum omnium partium eam accessisse conformatiōnē videmus, quae eius vitam ulterius munire aut fer-

seruare potuisset, quum in adducta nostra de vita foetus scri-  
 ptione, quae hoc pertinent, excusserimus momenta. Quan-  
 quam ex notata hac conditione apparet, periclitatum fuisse  
 foetum de vita sua, maiorem tamen veritatis persuasionem  
 habemus ex putrido eius statu, mox post partum conspicien-  
 do. Nobis hic non obstant exempla, ab aliis proposita, foe-  
 tus etiam per longum tempus in utero detineri, sine vita, im-  
 mo sensim eos emarcuisse aut planie in duram aliquam et pene  
 lapideam massam fuisse commutatos, ex quibus elucescat, pu-  
 tredinem non perpetuam esse mortis pedissequam. Sed prae-  
 ter id, quod in iis exemplis tempus, naturali partui destinat-  
 um, plerumque differri soleat et serotinum nimis fieri, in  
 clauso etiam et aerem non admittente vero, putredinis effe-  
 ctus accedere nequibant, intercepto nihilo secus conueniente  
 humorum vitalium motu. Fauentibus autem iis, quae cor-  
 ruptionem similem inducunt, caussis, emollitum, nec infre-  
 quenter tumidum, aliquando oedematosum corpus neogeniti  
 inuenimus, hinc cuticulam quoque, laxius cum cute cohae-  
 rentem, secedere, in vesiculos, acri humore repletas, extolli,  
 subiectas deinde partes fracidas esse, malumque spargere foe-  
 torem. Is, aeri expositus per breve tempus, non, vt reli-  
 qua solent cadavera, rigescere incipit, aut a frigore quasi in-  
 durari, sed mollitem seruat, articulorumque mobilitatem ali-  
 quam, leviori imperii obsequentem. Succorum, praecipue san-  
 guineorum, in minimis vasculis haerentium, per teneram cutis  
 structuram pellacentium, cum morte suppressus motus, macu-  
 las nunc latiores, nunc minus amplas solet producere, quas sti-  
 gmatia seu *Todtenmaehter* nominant, nec non ecchymoses con-  
 stituit. Has aliqui non nisi praesente adhuc vita comparere pu-  
 tant, sed post mortem etiam excitari posse contendit. **H E B E N-**  
**S T R E I T I V S** *Anthropolog.* **Sect. II. cap. II. §. 21.** siquidem putre-  
 do resolutionem sauguinis producat, quae etiam ob calorem,

D

qno

—————

quo nihilo minus demortuus in utero souetur foetus, eo citior certiorque contingit, quo maior ad id praestandum caloris est potentia. Necessario autem non boni sincerique sanguinis ea est extra vasā missio, sed fatiscentis et male olen-  
tis, unde liuor partium non aegre in viridesce item vel lu-  
ridum conuertitur colorem quantoeyus. Huius deinde pu-  
tredinis eminentiorem gradum, circa funiculum umbilicalem  
**obseruandum ALBERTI** in *Jurisprudentia Medica Cap. IX.*  
*§. 9. Tb. 1.* statuit, quem et nos, ob cutis in hoc loco la-  
xitatem et ob teneriorem cellulosa telam citius corrumpen-  
dam obseruauimus. Sit autem, ut funiculus iste plane de-  
structus separetur, tunc viisque praeculis ad seruandum foet-  
um viis, non potest non foetus subsequi interitus. Depre-  
hendetur is flaccidus, collapsus, liuidus, facile in partes di-  
scerpendus, sponte vel leui attractu dissoluens, si tunc reliqua  
vasa corporis sanguinem adhuc continent sufficientem, docu-  
mentum simul est vitae ante partum amissae. Non negli-  
genda autem est, in primis in legali disquisitione placen-  
tae quoque uterinae inspectio, nam et haec eo tempore,  
quo funiculum sic adfectum compemus, a labe non  
erit immunis, sed pariter putrida ex pulpa quasi soluta  
constans. Impetrare tamen a me non possum, quin de-  
nuo moneam, in neogenitis tantum has factas animadver-  
siones valere, nec in iis, quorum post aliquot tempus de-  
mum instituitur peruestigatio. Limites putredo habet, ut  
successiuam corporis destructionem producat, et uterus hu-  
manus, nisi singularia quaedam accescerint impedimenta, pro-  
tinus ab ingrato se liberat hospite, erunt tamen in vitalibus,  
sic dictis, actionibus quaedam norae, quae mortem praeg-  
ressam foetus significant. Hae quidem, quamdiu vita du-  
rat, exercentur strenue, impedito vero aut sublato earum ex-  
ercitio vita deleatur. Quis est, qui de sanguinis motu respi-  
ratio-

rationeque dicendum esse, non perspiciat? De vtraque aliqua notanda veniunt. Sanguinem, per quem solum praefatur tenelli corporis incrementum, in suo non amplius vivere motti, periculosisimum esse, quilibet adsentietur nobis. Huius autem virtutem iam ante partum cessasse docet pallidus corporis et integumentorum eius color praecipue, omnisque sanguinis extra vasa missi absentia, cuius effluxus in naturali aequa ac laborioso partu evitandus non est, ita, ut vix inuenias neogenitum, qui, in primis in vertice, stagnantis rubri sanguinis vestigia non ostendat. Id incautos nec satis rei gnos facile decipit, ut in bregmate rubras, extra canales suos emissi cruxis maculas pro effectu habeant adhibitae cuiusdam violentiae externae. Hinc, nisi copiosus sanguis stagnauerit et fugillationem magnam fecerit, eo confidentius de silente ante partum corde decernere poterimus, in primis si funiculus umbilicalis corpus haemorrhagia non exhauset, vasa potius maiora sanguine distendantur, instituta quoque cadaveris sectione, nullibi in cauis corporis effusa eius copia deprehendatur, sed grumosus ille intra suos retineatur cancellos. Declarauius etiam superiore loco, enecari in partu compressione alioque modo posse nascendum, si obstructus sit utrue collo funiculus, qui ab umbilico procedit, strangulando eundem suffocauerit, non deerunt notae, quae id luculenter monstrarent, per fugillationes comitantes. Ab ecchymosi manifesta e contrario cum aliis violentiae adhibitae indicii vitaे adhuc persistentis praesentia confirmatur. De altera vitali actione tandem, de respiratione nimirum, quum alibi in dissertationibus de respiratione foetus fusius egerimus, pauca huc referenda sunt. Parum enim absimus, quin pulmones, qui aerem nondum admirerunt, confirmant, veram nondum duxisse neogenitum extra uterum vitam, certissime persuasi, absque hac functione vitam nec esse, nec

D 2

per-




persistere posse. Quibus autem hic opus sit cautelis atque rite determinandis conditionibus, id alibi iam dictum est. Integri, nec morbos a labore adfecti recens nati pulmones, in aqua subsidentes, vitae plenae absentiam extra uterum demonstrant, et si inde non sequitur, caussas quasdam accedere non potuisse, quae vitae perfectioris statum interceperint. Vnicum tandem adiungimus, si in his visceribus, perlustrato nimis corpore neogeniti, inueniantur niomenta, quae functioni eiusdem obstacula ponunt, longe certiores nos reddi, vitam fuisse extra uterum impossibilem.

---

PICA





17

DE  
M O R T E F O E T V S  
EIVSQVE DIAGNOSI



INDVLTV  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

P R A E S

D. ERNESTO GO

THERAP. P. P. O. FA  
ACAD. DECEMVIRO, COLLEC  
ET APVD LIPSICO

PRO GRADV

D I S P V

CAROLVS AVGV

S C H A F S T A  
M E D I C I N A E B A

A. D. XXX. SEPTEMB



LIPSIA  
EX OFFICINA K

